

ne cuiusquam in posterum sinistre possit interpretacionis malivolencia immutari, presentem paginam exinde confectam et sigillorum nostrorum appensionibus communitam eisdem cum aliis instrumentis super prefatos mansos undecunque habitis vel obtentis dedimus in munimen. Datum Vriberg anno domini M^o CC^o LXXXVII, VI^o kalendas decembris, presentibus testibus infra scriptis.

(S.)

(S.)

610.

Prior, Priorin und Convent des Jungfrauenklosters beurkunden den Verkauf von Getreidezehnten zu Haßlau, Seifersdorf und Ossig an das Kloster Altzelle für 30 Mark Silber.

10

Freiberg, 1288 Apr. 22.

Hdschr.: Or. Perg. Hauptstaatsarchiv Dresden No. 1201. Die beiden SS. (Fig. 38. 40) an Fäden von gelber und rother Seide, das des Convents zerbrochen.

Ann.: Die Zeugenreihe von domino Johanne bis zum Schluß ist von anderer Hand mit schwärzlicher Tinte nachgetragen. — Vergl. No. 606. 607.

15 :In nomine domini amen.: Nos frater Cristanus prior, soror Cristina priorissa, soror Johanna subpriorissa totumque collegium penitentium in Vriberg omnibus in perpetuum. Quoniam oblivio gestorum emula queque in tempore quamvis rationabiliter acta nature sue cursu obscure mandat caligini et involvit, expedit, ut ipsius malicie prudentum consilio et scriptorum officio et ydoneorum virorum testimoniis occurratur. Notum 20 igitur esse volumus tam posteris quam modernis, quod nos rerum penuria coangustante et cottidiana inedia compellente decimas nostras videlicet maldarium siliginis et tantumdem avene de villa Hasela et maldarium siliginis et tantumdem avene de villa Sivirtsdorph, undecim quoque modios siliginis et totidem avene de villa Olsnik provenientes nobis annis singulis in festo Martini, quas tytulo proprietatis possedimus multis temporibus 25 jam transactis, deliberacione diligenti habita et matura communi consensu et unanimi voluntate vendidimus venerabilibus domino abbati et conventui Cellensis monasterii Cisterciensis ordinis Misnensis dyocesis pro xxx marcis argenti Vribergensis ponderis et monete sibi jure proprietatis, quemadmodum nos possedimus, perpetuo possidendas. Quam pecuniam nobis terminis compromissis plene et integre persolverunt, qua nobis victualia 30 comparavimus, prout nostra necessitas exigebat. Ut igitur hujus mutue coempcionis rationabilis disposicio illibata maneat perpetua atque firma et ne processu temporis cuiusquam sinistre interpretacionis malicia valeat enervari, presentem paginam exinde conscriptam ac sigillis nostris communitam cum aliis instrumentis tam domini episcopi quam capituli Misnensis super hiis habitis et optentis antefatis abbati et conventui dedimus in 35 munimen, non obstante quod dictorum instrumentorum quedam paria penes nos retinuimus propter decimas in Glizberg, quas nondum vendidimus, que utrisque instrumentis cum supra scriptis decimis sunt inserte. Datum Vriberg anno domini M^o CC^o LXXX^o VIII^o, decimo kalendas maji. Testibus presentibus infra scriptis domino Johanne Catulo plebano sancte Marie, domino Hellinholdo plebano sancti Petri, magistro Heinricho plebano sancti Nicolai,